Poëtae polonolatini.

Simonidae (Simonis) Pentesilea

Zamoscii excud. Christoph. Wolbramcz.

1618.





Cep.

~~Poesie~~

~~A. 313~~

SIMONIS SIMONIDÆ

# PENTESILEA.

ZAMOSCI

In Officina Academiæ, excudit Christophorus Wolbramensis,
Anno D. 1618.

Simon Simonides

THOMÆ ZAMOSCIO. PALATINO PODOLIÆ. IVVENI INCOMPARABILI. DOMINO. PATRONO. BENEFACTORI SVO. LIBENS MERITO DEDICAT.

# PERSONÆ

PENTESILEA.
AMAZONES.
CHORVS ex virginibus Troianis.
TALTIBIVS.
PRIAMVS.
ANDROMACHA.
ASTIANAX.
NVTRIX.
AETHRA.
NVNTIVS.
AENEAS.
DEIDAMIA.
COETVS fœminarum.
THEANO.
TRES milites saucij.
NVNTIVS alter.

# PENTESILEA.

*TE magne Mauors, ſanguinis ſator mei,*
*Primũ inuoco, vt me robore inuicto iuues,*
*Dignamq́; te parente natam comprobes.*
*Fallorne? num pauoris hæc veſtigia*
*In me emicant, ſignumq́; dant diri ominis?*
*Virtutis an ſunt talia hæc præludia?*
*Vt vim ſuam ordiatur à metu ancipe.*
*Ne defetiſce anime, nec augurio malo*
*Te frange. non eſt in manu tua ſitum,*
*Quid fata poſcant. hoc ſitũ eſt, vt ſtrenuũ*
*Te præbeas, vel numinum vſque ingratijs.*
*Cædem ne vitas? quam per arma quæritas?*
*Colo accubandum cum hac fuit ſententia.*
*Belli aleam, belli frequenta moribus.*
*Aut perdere, aut perdi, duelli lex iubet.*
*Sed vos ſodalitij mei pars vnica,*
*Adeſte amicæ, & conſulite, quid facto opus.*
*Magno in periclo, particeps periculi*
*Solus ſapit. nil cæterorum deſides*
*Solertias moror. quibus facti carens,*
*Diſerta lingua, futiles voluit ſonos.*

AMA.

*Nos imperata facere, nostrum ducimus.*
*Tuum est monere, quid velis facto exequi.*
Pent. *Communis alea, expetit communem opem.*
*Seruile non est munus, armorum labor.*
*Nec vinculo hoc quicquã esse sanctius potest.*
*Vitæ necisq; quo fides se mutua*
*Reuincit, & fortunam in omnem deuouet.*
*Nunc hoc videte quid sit expeditius.*
*Belli ad cruenti venimus commercium.*
*Res hostium hactenus cluit felicior,*
*Afflictior res Troica. hi, prout solent*
*Victi, pauoris anxij sunt compotes.*
*Illos superbos efferunt victoriæ.*
*Spes vltima in nobis. vel horum imbelliam*
*Redintegrare, vel hostium ferociam*
*Reprimere. qua via id gerendũ, hoc artis est.*
*Manumne conferamus omnes cũ omnibus?*
*An sola solum quempiam lectissimum*
*Optabo, & vno rem paciscar sanguine?*
*Prior modus vicem meam securior*
*Fors fuerit, alter iste honori & nomini*

*Illu-*

*Illustrior, votoq; & ingenio aptior.*
*Quid censeatis certiorem reddite.*

Ama: *Hera, fortitudinis modum præscribere*
*Ei, qui in illa totus est, perarduum est.*
*Tamen vel impigerrimæ pollentiæ*
*Nunquam obfuisse cautionem, congruũ est.*
*Proinde nec tu fræna sic audaciæ*
*Permitte, vt omnem segreges prudentiam.*
*Illudq; comprimis vide, non hîc tua*
*Regna esse, verùm adesse nos hîc hospitas.*
*Nec inchoare bella, quin iam persequi*
*Dudum inchoata. nec tenere principem*
*Locum, sed auxilij quasi esse appendices.*
*Vt non necesse sit priores poscere*
*Partes, vel anteire velle cæteros.*
*Tutissimum expectare, qua nos collocent*
*Statione, quidue muneris gestum velint.*

Pent: *Rebus secundis ire tutam semitam*
*Verißimum est. aduersa res exorbitat,*
*Nec tramitem fixum sinit decurrere.*
*Quod huius vrbis fata postulant quoq;.*
*Quam pœne iam procella strauit vltima.*
*Vt ni recentis auxilj lux protinus*

*Afful-*

Affulgeat, nunquā ſeipſam vindicet (gat.
Metu ex ſupremo, nec animos ſponte eri-
Videsne vt omnes ora conuertunt ſua
In me vnicam? ex nobisq; ſumant ſpiritus?
Vt qui moretur, aut ab illis pendeat,
Illosq; ſeq; prodat, & mulcet malo. (caſio
Conandum & audendum eſt, vel ipſa oc-
Non deſerenda comparandæ gloriæ,
Scythiciq; latè proferendi nominis,
Græcanicam quod deprimat ſuperbiam.
Stetiſſe Martis filiam, contra Deâ
Satum marina, virginem contra virum,
Non indecorum, nec feretur ſordidum,
Vtinamq; ſolum ſola poßim apiſcier.
Ama: Quocunq; te virtutis indoles tua
Producet, hac ſequemur. aſt conſidera,
Erroris aliquid ne pariat inſcitia.
Quando nec arma, vſus neq; armorū, neq;
Belli gerendi ratio, qua hoſtis vtitur,
Nobis ſat explorata ſit, ne forſitan
In retia incurramus imperitiæ,
Pœnaſq; debitas temeritati demus.
Idcirco ſingularis ad certaminis

Du-

*Dubiam fidem te protinus descendere*
*Non suaserim, antequam periculum hostiũ*
*Faciamus, atq; conferamus cum omnibus*
*Omnes manum. interim ducis te munia*
*Obire potius censeam, quàm militis.*
*Laudis paratur vnde maior adorea,*
*Artisq; bellicæ facultas cernitur*
*Illustrior. complura quippe millia*
*Armare, quam sæuire priuum, pluris est.*
Pent: *Quanquam aliud animus gestiebat aggredi,*
*Tamen impetrari non grauatim à me id sino,*
*Ne spernere obstinate amicos iudicer.*
*Quandoquidem & ipsa insomnij diuinitas,*
*Videre quod sum visa nocte proxima,*
*Vestræ disertim congruit sententiæ.*
*Videre nam sum visa me in faciem leæ*
*Mutari, & irruere in greges promiscuos,*
*Stragemq; late fundere, & serere fugam.*
*Tandem virorum congredi cum acri manu,*
*Qui se impetus contra meos ferro obuij*
*Vltrò offerebant, & petebant vulnera.*
*Quidamq; eorum proruens fidentior,*
*Mucrone conuolabat in pectus meum.*

*Me muniebat dextera pater meus.*
*Nam coram adeſſe viſus eſt Mauors mihi,*
*Et me admonere, & adiuuare aperta ope.*
*At ſomniorum inanias fruſtrà arripit,*
*Qui corde non pollet, nec olim partã habet,*
*Labore gnauo euentuum peritiam.*
*Damno ancipes mortalium ſolertias, (lâm*
*Qui luce quod, quodq; vigiles voluunt pa-*
*Plerumq; tranſmittunt ſupinis viſibus,*
*Nec perſequuntur mentis acrimoniis.*
*Caligo ſed quod noctis, & fallax ſopor,*
*Inſomniorum protulit ludibriis,*
*Id curioſa quæritant indagine,*
*Hoc vota temperant ſua, & vitæ modum.*
*Me nulla vanitatis huius arguet*
*Dies, ſat ardor inſtruet me pectoris,*
*Fraudiq; nulli fortitudo obnoxia.*
*Vos adiuuas dictoq; req; quando mî*
*Fortuna conceſſit mea, & veſter fauor,*
*Non eſt metus rei gerendæ perperam.*
Ama: *Conſentiant, diſſantiantne, hæc quæ vocas*
*Inſomniorum & noctium ludibria,*
*Cum ſanioris conſilj experta fide,*

*Parum interest. hoc interest, ne dum nimis*
*Contendimus, feramur in praeceps nimis.*
*Periculosus iactus est belli aleæ,*
*Nec error admissus mederi se sinit.*
*Iuuare amicos, non praire cæteris*
*Huc venimus. seruanda sunt iura hospitij,*
*Potiusq; spectandum quid ipsi nos velint,*
*Præstare, tum demum eminere strenuas.*
*Dicto audientes pulchrius victoriæ*
*Sequuntur. importuna facta non probo.*
*Nam si euenit labi, ad malum, noxa insuper*
*Accuditur, crimenq; adest discrimini.*
*Nec sim prior, nec hæream inter vltimos.*
*Sermonis at non est locus, vbi est facto opus.*
*Phalanx tua vt parata pransa sit vide.*
*Ne quid moretur, signa si vellenda erunt,*
*Armisq; nostris instruamur nos simul.*
*Cedamus intro, post foras prodibimus,*
*Cultu rigentes ferreo, vt fortes decet.*

CHORVS.

O *Pulentia, vnicum*
*Mortalium solatium,*

*Curaq;*

*Curaq́ perpetua,*
*Vtcunq́ vulgus anchoram*
*Te ſacram atq́ portum*
*Tutiſsimum vitæ autumat,*
*Fortunæq́ reponit*
*Paginam in te vtramq́,*
*Vento ſecundo ſeu placidus fluat*
*Æui lepor, ſeu ruinam*
*Difficiles faciant procellæ.*

ANTISTROPHE. I.

*Ego te nec aurea*
*Gaza, nec affluentijs*
*Omnigenis metior,*
*Nec copia rerum vbere.*
*Namq́ rectius tu*
*Sinu in benigno te locas*
*Fidos inter amicos.*
*Quem armat hæc corona*
*Verè ille diues, verè opulens mihi.*
*Theſaurus ingens, amici.*
*Pauperies, caruiſſe amicis.*

*O Troia, ô Priami domus,*
*O structa diuûm pergama dextera,*
*Quamuis cruenta vos premat necessitas,*
*Ensisq; latè sæuiat hosticus,*
*Non tamen interitu supremo,*
*Vos damno, quando in tempore*
*Talia præsidia, & sociorum*
*Opem parastis commodam.*
*Qualis virago hæc, seu potius Dea,*
*Flauo à Termodoonte,*
*Vobis auxilium in re crepera attulit,*
*Amsanctum honorans, pignus amicitiæ.*
*Qui vultus? qui frontis honos? quã mista*
*Seueritati fulgurat, (venustas*
*Non sine magnanimo pudore,*
*Subq; supercilio quieto,*
*Lumina stellis æmula fulgent. (mnis*
*At mihi quæ trepido spes iam defluxerat o-*
*Pectore, nunc melior se sensibus experrectis*
*Insinuat, certamq; audet spondere salutem.*
*Olim ceu terras quando feruentior annus*
*Vrit,*

*Vrit, & arentes herbæ cœleſtia poſcunt*
*Dona imbris, precibusq; deos gemituq; fati-*
*Agricolæ, ſi forte Iris lõgiſsima opaco (gant*
*Protulit os roſeum cælo, nubeſq; coëgit, (ri,*
*Indiciũ haud dubiũ pluuiarũ, imbriſq; futu-*
*Illicet aſſurgunt animis, lætamq; capeſsunt*
*Spem corde, & certæ Cereris ſibi munera*
*(ſpondent.*

## TALTIBIVS.

*Ecquid ſoporis blanda dona, miſsa iam*
*Regina fecit? introire & alloqui,*
*Quædamq; præbere, vt ſit haud incõmodum.*
Cho: *Pridem vel auroræ ante candidam facem,*
*Stratum reliquit, vix ſatis ſomni capax.*
*Iamq; hîc foris ſermocinata eſt cum ſua*
*Cohorte, pugnæ ſe futuræ comparans.*
*Quin prodit ellum, fulgur vt vibrans iubar.*
Tal: *Regina, ſic tibi hæc dies pulcherrima,*
*Nobiſq;, Troiæq; vniuerſæ affulgeat,*
*Vt luculento exorta nunc eſt lumine.*
*Hoc adprecatur rex tibi, hoc omnis ſimul*
*Populus, patreſq; & quicquid hîc eſt gentiũ.*
*Soſpeſne*

Pent. Sospesne rex quietis hausit munia?
Talt. *Quin iam tui videndi habere copiam*
*Peroptat, atq; causa ea me nunc tibi*
*Præmisit, aduenti eius ad te nuntium.*
Pent. *Quin iuniores nos adire eum decet.*
*Æuum senile nempe honorē hunc postulat.*
*Et iam, nisi importuna sum futura, me*
*Ad limen eius confero. tu sis vide,*
*Ne permolestæ adsimus, inq; gratiis.*
Tal: *Paulisper hîc subsiste, donec quippiam*
*Profamur, & mandata pauca exponimus.*
*Quantum sibi gratetur & quantum tibi*
*Debere sese intelligat, quòd illius*
*Amica rebus veneris durißimis,*
*Meteri ab animo potius, & sancta fide,*
*Non ex lepore dictionis splendido*
*Verbisq; factis affabre, vt velis, rogat.*
*Hoc & secundis, & tuis contrariis*
*Rebus probaturum palam se se autumat.*
*Vt promptus atq; gratus opera mutua*
*Sit perpetim, stringitq; se hoc nexu tibi.*
*Nunc hospitalis parua iuris pignora,*
*Lubente sumas vt manu, poscit volens.*

*Monu-*

*Monumenta maiorũ ſuûm. hos olim ſenex*
*Laomedon arcus Hercule à magno tulit,*
*Quum conſtruendis vrbis huius mænibus,*
*Se præbuit perquàm benignus, & fauens,*
*Vtcunq; poſt hoſtilibus factis ferox.*
*Ipſæ ſagittæ cum pharetra munus eſt*
*Apollinis. clypeus opus Vulcanium:*
*Hic balteus, Vulcanius labor quoq;.*
*Hunc inſuper Neptuniæ propaginis*
*Addit ſonipedem, proſequens hoc omine,*
*Vt hoſtium victrix vbiq; illo cluas,*
*Semperq; te mactes ſuperba adorrea.*
Pent: *Non eſt quod abnegem, pudore me affici,*
*Munem quod erga me prior ſe ſe offerat*
*Rex optimus, quàm operæ meæ periculum,*
*Aut commodum vllum potuit experirier.*
*Verum ille liberalitate gaudeat*
*Sua. mihi duplex onus video inditum.*
*Et pro mea virtute iaciendæ aleæ,*
*Et gratiæ eius munerandæ æquam vicem.*
*Vtinam eius hiſce ſiue donis inclytis,*
*Seu gratiis illuſtribus ſic perfruar,*
*Vt ſumma ad illum, ſumma ad hanc rẽpubli-* (cam

*Et*

*Et quemlibet veſtrûm redundet fauſtitas.*
*Sed conuenire, & alloqui ipſum peruelim,*
*Occaſionibus moræ nequid vacet,*
*Rei gerendæ neue tempus effluat.*
Cho: *Venire Priamum, iamq; præſto eſſe hîc puta.*
*Jam turba præuia incipit præcedere,*
*Satellitumq; promicat grex haſtifer.*

## PRIAMVS.

*O virgo cani iſti mei, & florens tua*
*Ætas, videtur hoc mihi permittere,*
*Vt filiæ te appellem amico nomine.*
*Vtcunq; dignam te geras honoribus*
*Primariis, nobisq; nunc venias prope*
*Numen ſalutare atq; præſentaneum*
*Quantoq, tu paratior nobis ades.*
*Tanto tibi maiore nos accedere*
*Curaq; ſtudioq;, & ſalubris conſilj*
*Fide expedita, prorſus eſt æquiſsimum.*
Pent: *Non verba cedere, aut inanes nominum*
*Jactantias huc aucupari venimus.*
*Sed ſtrenuam nauare opem rebus tuis.*
*Seu filiæ tu me loco, Rex optime,*

*Seu*

*Seu inter asseras amicorum gregem,*
*Vtrumq; nobis fuerit, haud asperrimum.*
*Præstanda, non eblandienda est gratia,*
*Quisquis se amicum nuncupat plana fide.*
*Quin hoc agamus potius, ecquid facto opus,*
*Qualiue profligandus hostis sit via*
*Quæramus, actutumq; certi quippiam*
*Statuamus, & negotio addamus manum.*
Pri: *Negare non licet, quibus nunc in malis*
*Versemur, anceps arbitrandi vt se offerat*
*Ratio, nec explicare se sinat satis.*
*Audaciæ ne, an cautionis sit locus.*
*Celare nec mihi liquet luctum meum, (mor.*
*Quo nunc perempto ex Hectore orbus oppri-*
*Qui murus huius vrbis, & sacra anchora,*
*Et terror hostium vigebat vnicus,*
*Is occidens tantos reliquit hîc metus,*
*Vt nemo non perisse iam se se autumet,*
*Troiamq; speret funditus procumbere.*
*Hincq; ambigendi occasio strepit frequens,*
*Tentanda ne, an sinenda sit belli alea.*
*Recentibus modo hostium ferociis,*
*Nostræq; fortunæ reciproco statu,*
C *Nam*

*Nam corda prosternas, nec erigas statim.*
*Viresq; lassas, tutius tradas fugæ,*
*Quàm præliorum creduas discrimini.*
Pen. *O rex procax sit, & sui æstimans nimis,*
*Qui nesciat quid sit pauor, quantumue sit*
*Fidendum anhelo pectori victos apud.*
*Verùm hanc vicẽ vel maxime summa eminet*
*Virtus ducum, cadauera & promiscuas*
*Inter neces, stragemq; & excordes fugas,*
*Victoriam, & trophæa pulchra quærere.*
*Persæpe lapsi, perculêre interritos,*
*Victoribusq; erepta de manu palam est*
*Victoria. amittenda præclaræ rei*
*Nunquã est potestas, nec iacendũ ictis semel.*
*Plerumq; res secundior, lentißimam*
*Supinitatem, & oscitantiam inuehit.*
*Nimisq; securos, propinat cladibus.*
*Redintegranda semper est mens strenua*
*Nullaq; de spe animosior rapienda spes.*
*Hæc vnica est salus, salute in perdita.*
*Quid quod minutis casibus, vel maxima*
*Momenta bellorũ, frequenter verti amant?*
*Quid quod inopina audacia, aliâs acerrimos*
*In-*

*Infregit, hancq; iecit aleam aptius.*
*Negare non licet, manu & vita vnius*
*Fortis viri, vel stare vel cadere alios.*
*Hoc pace videas, inq; tranquillo foro,*
*Hoc signa, remq; duram apud duellicam.*
*Nemoq; laudē hanc dēpserit magno Hectori,*
*Quin ille murus fuerit, & vita omnium.*
*Postquàm sed illum infestior Mars abstulit,*
*Iniuriam fieri illius fortißimis*
*Non credo manibus, si in eius se locum*
*Sistat quis alter, & mora nulla impigram*
*Continuet operam splendido vestigio.*
*Tollendus est dolor recenti vulnere.*
*Metusq; in herba comprimendus protinus.*
*Ne se efferat, longasq; radices alat.*
*Vix eximendus intonato pectori.*
*Quò mi videtur eße consultißimum,*
*Vel ciuium, vel hostium causa, illicet*
*Audere, & vrgens aggredi periculum.*
Pri: *O virgo, pro me quando militat tua*
*Virtus, modum conatibus tuis dare*
*Non est meum. rogare te saltem est mēum.*
*Nostram salutem dum tegis, ne negligas*

 *Tuam,*

*Tuam, nec occupes prius pericula,*
*Quam tota belli ratio tibi perspecta sit.*
*Ne quod per inscientiam incurras malum,*
*Mihiq; mærores, & ærumnam augeas.*
*Mei quidem omnes tibi aderũt, quocunq; te*
*Vocabit excellens tui voti vigor.*
*Consulta sed præire factis conuenit,*
*Viresq; nostras cognitas velim tibi.*
*Ut scire poßis, quid queant præstare, quid*
*Nequeant, quantumq; liceat illis fidere.*
*Hoc amplius, præstolor auxilia noua,*
*Quæ nunciantur indies mihi adfore.*
*Rex ipse nempe Memnon, aurora satus,*
*Ætiopum abusq; finibus longißimis,*
*Adducit omnes huc suos exercitus.*
*Fidesq; certa est, non procul iam tendere,*
*Castris secundis veniet, aut tertiis.*
*Illo recepto, viribus iunctis simul,*
*Paratiores fors fuerimus, & mage*
*Hostem aggredi poterimus, intrepida manu.*
*Idcirco vos obnixius rogauerim,*
*Seruare vires integras in illius*
*Paulisper aduentum, vt molestum non siet.*

*Auda-*

*Audaciæ robustiores plus valent.*
*Junctaq; dextræ se tuentur arctius.*
Pent: *Non vna facies bella conficere solet.*
*Hæc mole, constructisq; aciebus se explicant.*
*Fraude alia gaudent, & tumultibus geri.*
*Nonnulla furto, vel dolo, aut ficta fuga.*
*Fatemur esse quale nostrum patrium.*
*Proinde, non possum tuæ sententiæ*
*Non congruere; ne robur omne exerciti,*
*Discrimen in Mauortis hodie prodeat,*
*Quin arma præstolanda socia censeo.*
*Non hoc tamen vetare protinus potest,*
*Quin audeamus quippiam nos artibus*
*Nostris, tumultu siue, siue istud fugam*
*Confiat, hostemq; haud sinamus vel diem*
*Istum quiescere, affatim ne gaudeat,*
*Neu se superbum tollat hoc rerum exitu.*
*Quin sentiat, superesse vel victis manum.*
*Sic & tuis paulisper abscedet timor,*
*Fiduciaq; ad damna belli cætera*
*Toleranda, meliores in animos influent.*
*Pro me timorem ne geras prorsus precor.*
*Non primulum ista nempe ludicra ludimus.*

*Portam*

Portam patere potius actutum iube.
Dumq; absumus, dum redimus ad te sospites,
Mensa hospitalis præsto sit, ne nos fames
Labore functas, plus satis pertorqueat,
Lætas & ipse lætus exceptas velis.
Sic spondet augurij optimi mens conscia.

Pri. Postquam videntur hæc tibi, voto tuo
Vtare. ego interim Deos precabor, vt
Te sospitem lætamq; restituant mihi.
Tamen ex meis plerosq; cape, dicto vt tibi
Sint audientes, & periculi adiuuæ.
Taltibie, ad Ænea otius viam vora. (terū
Manda vt maniplū velitum, vnū atq; al-
Expediat, & parere iubeat huic duci.
Reliquos in armis teneat, alam collocet,
Firmam ante portæ limen, vt potißimum
Incerta pugnæ sunt, capessant si fugam,
Recipere se in tutum queant superstites.

STRO.

Cho. Mauortis rapidis fluctibus, & fero
Armorum quisquis se dedit arbitrio,
Et belli semel aream

Audaci

*Audaci pede preßit.*
*Vtcunq; velum torqueat*
*Fortuna inconstantibus auris,*
*Ille iter inuicto impete radat,*
*Neu cadat oppressus, sanguineq; in medio*
*Sumat acriora corda.*

ANTIST.

N*il non restituit curaq; peruicax,*
*Virtusq; immoto stans pede, perq; rui-*
*nas ipsas stabilit gradum.*
*Victrix immodico ausu.*
*Rebusq; se arctis asserit.*
*Nec spes se insinuat, nisi vbi anceps*
*Euentus cepta ardua gaudet*
*Miscere, atq; vocare in dubium, alacri*
*Illa gestit ire vultu.*

EPOD.

E*t trahit ad meliora*
*Blanda simul, simul atrox*
*Hortatrix, nec in ipsa*
*Morte relinquit.*

*At*

*At quâ rite suas locauit arces,*
*Et solido ex adamante,*
*Fixit pectoris aulam*
*Regnatrix ratio, casibus asperis*
*Non tantum se credere quærit,*
*Fiduciamq; concipit lætam sui,*
*Omnia quin oculo despicit altiuolo.*

ANAPOESTI.

*Solum obseruans mentis honorem,*
*Illæso liberrima sensu,*
*Non vi non obnoxia fraudi,*
*Non pellace cupidine fracta,*
*Latè partem prouida in omnem,*
*In re crepera curæ vacua,*
*Ingens animis, impigra facto,*
*Humana in discrimina pugnax,*
*Dijs minor, ipso de Ioue pendens.*
*O qui cælo fulmina torques,*
*Et bellorum flectis habenas*
*Sanci tandem fœdera amica.*
*Et da finem, metamq; malis.*

Cupido vitæ, tuq; sol pulcherrime,
Qui lumen hoc nobis fruendum commodas,
Quàm blanda amoris illecebra sensibus
Illaberis nostris, & auidos detines?
Ut mole quamlibet malorum asperrima
Premamur, & ferendo vix simus pares.
Tamen tueri peruicaces quærimus,
Hoc corporis quasi carcere in teterrimo
Animam misellam, ingratiisq; viuimus.
Vel mî quis vsus lucis hoc dono frui? (mniũ
Quæ nulla sum, quæ sũ vmbra, & vmbræ so-
Interq; viuos functa pæne obambulo.
Nam cassa coniunx, morte deiecto viro,
Non illa viua sed perinde est mortua.
Tamen relucto funeri concedere
Pacemq; apisci, morte finitis malis.
Dulcißime Hector, nam tibi fortißimi
Nomen vel omnes affatim dant cæteri.
Tu mel meum, meus fuisti tu lepor.
Quãdo cruentum auro redemptum supplice,
Te genitor infelix reportabat domum,
Atq; in sepulchri collocabat limine,

Cur non cruenta victima ad rogum tuum
Unà occidi, huncq; spiritum pessum dedi?
Vel mortuales inter, æternum tibi
Coniuncta, tecum vno beata funere.
Testor fidele pectus, & dextram tuam,
Mihi benigne cognitam, hosti fortiter.
Optasse, nec vitasse me hanc fati vicem.
Quin vsq; suspirare puluerem ad tuum.
Sed me pusilla, vagiens nati tui
Detinuit ætas, editi satu tuo.
Orbus parentûm, ne missellus debita
Alimoniæ careret ope, sanguis tuus,
Olimq; seruaretur ad necis tuæ
Iustam vltionem, vel manu eductus mea.
Vtcunq; matrum cura mollior cluit.
Neq; educare est nata fortes spiritus.
Desertus omni parte ne tamen foret,
Operamq; saltem nostram haberet anxiam,
Habere quando non licuit aptam tuam
Manum magistram, subq; te florescere.

ASTIANAX.

*Vai. Vai. Vai Vai. Vai.*

NV-

## NVTRIX.

*Puppe meus, puppulle meus, mî*
*Blandule puppe*
*Mi Astianactule, mi mellite,*
*Mî dulcissime, mî pulchellule,*
*La, la, la, la, la, la,*
*Vnde tibi flendi ista libido?*
*Num te facies terruit aliqua?*
*La, la, la, la, la, la,*
Asti: *Vai, Vai, Vai, Vai,*
Nut: *En tibi mammam*
*En solatia,*
*En mella tua,*
*Siste lachrimulam*
*Preme vagitulum,*
Asti: *Vai, Vai, Vai, Vai,*
*Num te lumine læuo, læuus*
*Oculus ferijt? qualia multa,*
*Pusos misto in populo infestant.*
*Siste lacrymulam*
*Preme vagitulum.*
*La, la, la, la, la, la,*
*Mi Astianactule, mî millite,*

*Non te pusus lætior alter,*
*Non lachrymarum parcior alter.*
*Unde hæc flendi tanta libido?*
*Etiam hoc uber delitias tuas*
*Auersaris? La, la, la, la, la, la,*
Asti. *Vai Vai Vai Vai*
And. *Huc huc illum mihi, promptius fletũ premet.*
*Ades, meus, meus tu, ades, da mihi osculũ*
*Da mî ulnulas, appinge te ad me pressius.*
*Fili, meæ ærumnæ unicum solatium,*
*Obquem misera viuo, nec aliâs viuerem.*
*Dicamne te sentire, in hac ætatula?*
*Quæ damna nos circumtonent, quibus mali*
*Premamur, orbitatis extremo in gradu?*
*Quali viro ego, quali parente tu heu miser*
*In limine ipso infantiæ deiectus es.*
*Ideone fletũ tollere amas? iam quasi*
*Iram Deorum, & damna nostra intelligens.*
*Omitte nunc sensum mali, carere quo*
*Potes, vel æui propter ignorantias.*
*Molestiarum olim satis superq; erit*
*Exhauriendum, quando te anni proferent*
*Cædis paternæ vindicem, cladem hostium,*
*Columen, iubarq; nunc ruentis patriæ.*

*An*

*An iſta ſpes eſt lactea? ut lactis modo*
*Tu particeps, ceu prima flores herbulæ*
*Maturitatis fruge debita procul.*
*Incerta veluti cuncta ſunt mortalium,*
*Nec in futurum ſponſionis eſt fides*
*Condicta fatis hac & hac labentibus,*
*Ancipite præſertim duelli in area.*
*Quam magna vortens, ſæuus exercet DEus.*
*Modo his, modo illis, annuens victorias.*
*Qui nunc nefanda ſtrage nos peſſum ruit,*
*Voluitq; cladis ad ſupremæ terminos.*
*Nam nî ſiniſtra mens diſertim me monet,*
*Non eſt labor, quin Troia funditus cadat,*
*Noſq; enſis hoſticus hauriat promiſcue.*
*O fili, ego haud me verterim meam vicem.*
*Quin mortis expetam potiri munera.*
*Libenſq; linquam lucis hoc blandum iubar.*
*Seu ſponte, ſiue ſit cadendum vi improba.*
*Tibi miſello, eheu, tibi metuo nimis.*
*Ne te procella belli, adhuc vitæ inſcium*
*Honore vitæ priuet, & ſternat nece.*
*Verum ferenda ſors vel ipſi infantulo eſt*
*Suprema Diuûm, quam iubet neceßitas.*

Regina,

Nut. *Regina, cui fatale vulnus accidit,*
*Mentemq; strauit insueta calamitas,*
*Non miror esse corde prorsus saucio,*
*Nullasq; spes deinde posse admittere*
*Secundiores, quin miser sit perpetim.*
*Mæror metum parit, metus nec consilij*
*Compos, nec vllius bonæ artifex rei est.*
*Mirum neq; est, tantis malis te obnoxiam,*
*Animo iacere, nec dare ærumnæ modum.*
*Nam coniugis tanti carens, quid postmodo*
*Speres, vel optes, non reperias protinus.*
*Damnare priuatis sed infortuniis*
*Totam salutem publicam non congruum est.*
*Fortes viros pro patria cadere, nouum*
*Non est, nec aliter iste ludus luditur.*
*Gnauißimum quemq; decimari prælijs*
*Vulgo ferunt. vxorculas imbellium*
*Plorare non solere, vulgo itidem ferunt.*
*Aio esse iacturam vel vsq; maximam*
*Decedit vrbi quando vir primarius.*
*Rarißimum si quidem boni est istud genus.*
*Sed vnius non est opus respublica.*
*Quæ continetur omnium virtutibus.*

*Vtcunq;*

Vtcunq; sæcla defluunt mortalium,
Perrennat immortalis ipsa iugiter.
Viroq; vir succrescit, & generi genus.
Et Troia stabit, & hostium victrix cluet.
Vix esse desperatione pestis tetrior
Potest, manum quæ projcit præceps nimis.
Durare nec constante sustinet gradu.
Non Hectoris sint ista dicta opprobrio.
Qui solus antistabat omnibus palam.
Herois, haut mortalis os dium gerens,
Totamq; molem sustinens duellicam.
Habere fortes insuper Troiam viros,
Qui nos tuentur, & tuebuntur satis.
Vel ista, sanguis vt ferunt Mauortius,
Quæ copiis aduenit auxiliaribus
Subnixa, non permittit omnem funditus
Spem deseri, nec vltimo sterni metu.
Tantis videtur eminens audacijs.
Pelidem vt ipsum prouocare sit potis.
Seruilis, ista quæ loquor, non fortean
Sunt iudicj, qualem me ego esse sentio,
Verùm hæc habet felicitas heroicas
Domos, liceat vt sapere in illis cuilibet.

Nec

*Nec humile quicquam musitant vel seruuli.*
And. *Solatijs, aut suasionibus, etiam*
*Ratione nimis non rata, aurem pandere*
*Quisquis negat, præsertim in aduerso statu*
*Fortunæ, cum hominē ego esse planè haud di-*
*Tam pertinax lubido blāditur spei. (xerim.*
*Quæ morte in ipsa dicitur non linquere.*
*Neq; sermo mi tuus odio, vel tædio est.*
*Mihiq; partes hocloco mendacij*
*Assumpserim potius, tibi concesserim*
*Vel veritatis vel boni vaticinij.*
*Euentus hoc tantum annuat benignior.*
*Ac cætera in dictis tuis non improbo.*
*Assentiorq;, sæpe fieri humanitus,*
*Istamq; lampada ab his, ad alios currere,*
*Troiamq; non prorsus carere fortibus*
*Viris, vel exopto, vel agnosco libens.*
*Quanquam Hectoris mei careat acri manu.*
*Verùm istius viraginis, quam prædicas,*
*Quæ se cohorte cum puellarum huc tulit,*
*Subsidia tanti non facio, vt illis putem*
*Troiamue seruari, aut Achiuos repprimi*
*Posse. vtlibet iactantijs superbiat,*

*Reiq;*

*Reiq; bellicæ scientem se efferat.*
*Quin contigit mihi illius vanam vicem*
*Vel condolere, vel prope miserescere.*
*Ad mensam heri dum regiam vino calens*
*Modo hosticis ignes minatur nauibus,*
*Exerciti modo totius stragem & fugam,*
*Ipsumq; domitum hasta, cruẽtum Achillea*
*Loris trahendum tota circùm Pergama.*
*Tunc mî Hector ante oculos me⁹, sed lachrimæ*
*Iam me obruunt, ille Hector, ille patriæ*
*Murusq; columenq;, ille fulmen hostium,*
*Quantus vigebat corde, quantus viribus,*
*Tamen momordit terram Achillea manu.*
*Fabarq; mecum. quos misella spiritus*
*Gestas? quibus turgescis animis inscia?*
*Tun' contra Achillẽ stare? tun' vultũ illius,*
*Orbesq; sustinere luminum igneos,*
*Rugamq; frontis inquinatam cædibus,*
*Hastæue declinare sis potis impetum?*
*Iam te, misella, iam tuor, mollem velut*
*Celsis columbam præditam volatibus,*
*Quam mox aperto consequutus æthere,*
*Acceptor acer, tollit insultu fero,*

 Rostroq;

*Rostroq; frangit, vnguibusq; euiscerat.*
*Tantùm misella te video, quantùm modò*
*Video. vbi portæ limen extrà cesseris,*
*Non iam tui videndi erit post copia.*
*Sed fœminarum gens sumus, more hoc moro.*
*Speramus antistare virtutem virûm.*
*Nostrasq; longè tollimus solertias.*
*Domestica hoc in re, hoc reprendas cæteris*
*Negotiis, neq; sat foris quiescimus.*
*Planè inquietum fœminæ sumus malum.*
Nut: *Subsiste paulum, Æthram video recta gradũ*
*Huc ferre; nõ frustrà est; citum mouet pedẽ.*

## ÆTHRA.

*Regina ab Helena ad te venio. si sit tibi*
*Cordi, venusto perfrui spectaculo.*
*Quâ prœliantes fœmina exercet viros,*
*Lateq; mistis stragibus pugnam ciet,*
*Ne differas adesse turrim ad Dardanam.*
*Ibi aula tota, regiæq; omnes nurus.*
*Cum Rege Priamo, desuper visu aucupant*
*Fortißimæ viraginis miraculum.*
And. *Verone portis ista muliebris phalanx*

*Pedem*

Pedem extulit? belliq; se influctus dedit?
Æth: Ut gloriari liceat illarum impigro
Facinore, vel nostri usq; sexus gratia.
And. Solæne? an armis Troicis auctæ simul,
Juêre martis æquor in duellicum?
Æth: Orabat ipsa, nempe sola cum suis
Ut laudis hoc referre posset præmium.
Sed Rex negauit. scilicet discrimini
Experta nondum cuius esset orbitam,
Primo pedatu protinus, ne se suo
Periculo præceps nimis permitteret.
Jdcirco nostri exerciti pars maxima
Unà iuit, iuêre & duces primarij.
Verùm ipsa præ cunctis, quâ equo lectißimo,
Jnsignibus quâ armis, palàm longè eminet,
Non virginis, sed fulguris faciem gerens,
Quod Iuppiter de nube spargit ignea
Venti furentis nuntium, aut pluuij ætheris.
At tu vel oculis debeas multum tuis.
Eimodi si te expleas spectaculo.
And: Non est modò operæ, funerum sat vidimus,
Quandò Hector heu meus, vigebat viribus.
Nunc fletuum potius mihi tempus datum

 Diuumq;

*Diuumq; ad aras supplicem procumbere.*
*Condicta quin hæc est dies perpluribus*
*Nobis. Mineruæ numen vt voti reæ*
*Mactemus excellente pepli munere*
*Jamiamq; lecta pompa virginum venit,*
*Donum gerentum, & sonantum cantibus.*
*Quarum choro me par quoq; est adiungere.*
*Helenæ salutem ex me, atq; amicam gratiã.*

CŒTVS fœminarum Peplum ferentium.

Hanc *tibi virgineis manibus, Tritonia virgo,*
*Contextam pallam, splendida dona tua,*
*Præferimus, pedibusq; tuis venerãda sacramus.*
*Supplice cum voto, supplice cum titulo,*
*Clara Gigantæi referentem signa triumphi.*
*Cùm tua dextra altũ strauerat Enceladũ.*
*Sideribus mediis iam iam caput insertantem.*
*Et pugno cæli percutientem adita.*
*Te nos armorum dominam, te bellipotentem*
*Dicimus, inq; tua fidimus vsq; manu.*
*Sis felix, vrbiq; tuæ succurre ruenti,*
*Et nos rite tuo contege præsidio.*
*Jli vel propter quondam florentis honorem.*
*Cui tu diuini munera Palladij*

*Sedibus*

*Sedibus æthereis misisti, & condere gentem*
*Nomine mandasti de proprio Iliacam.*
*Hîcq; tibi poni voluisti amplissima templa,*
*Vt tuus hîc sedem semper haberet honos.*
*Suffice nunc animosq; tuos, dextrãq; potẽtem.*
*Sisq; fauens virgo virgineis opibus.*
*Atq; hãc, quæ duri ruit in certamina Martis,*
*Cumq; viris audet conseruisse manum,*
*Assere. fac illam victoria læta reportet,*
*Hostili multo sanguine conspicuam,*
*Hectoreæ vltricem cladis. da sæuus Achilles*
*Ex eius loris pendeat, atq; rotis.*
*At nos pulchra salus, & pacis mitior aura*
*Muniat, & tristi seruet ab exitio.*
*Sic tibi perpetuis surgat noua gloria sæclis.*
*Sic tuus in nostra laude perennet honos.*

## NVNTIVS.

*Priamum, vel Æneam, vel ipsum Antenorẽ*
*Vbi sim reperturus doceri peruelim.*
*Negotij adeò vrgentis est necessitas.*
Cho: *Quid est, quod apportas noui, fare otius.*
Nun: *Moramini, vos scire primas non opust.*
*Verbo*

Cho: *Verbo tamen, quo ſit loco res expedi.*
Nun: *Bono loco, noſtra in manu eſt victoria.*
Cho: *O ſancta Pallas, adiuua nos ſupplices.*
Nun. *Fac miſſa verba, hoc quod rogo mone ſi po-*
Cho. *Hàc nuper Æneam meantē vidimus.* (*tes.*
Nun. *Inermem an armatum & paratum prælio?*
Cho. *Pro more nempe obire ſtationes puto.*
Nun. *Hàc flexit? anne illàc? vt accelerem aſſequi.*
Cho. *Ellū haut procul abeſt, atq; vertit huc gradū.*

## ÆNEAS.

*Quis eſt requirens hîc meam præſentiam?*
*Num in acie aliquid anceps repētinū accidit?*
*Multa euenire qualia hoc ludo aſſolent.*
*Is tu es? loquere; veniſne pugnæ ex turbine?*
Nun: *Ipſiſſimis denſiſſimisq; ex cædibus.*
Æn. *Fugæ potitus, & neci te ſubtrahens?*
Nun. *Hæc probra deſertoribus ſint congrua.*
Æn. *Quæ cauſa te ergò, huc vt venires perpulit?*
Nun. *Feliciter geſtæ rei eſſem vt nuntius.*
Æn. *Vt tēpus eſt, vix prælium occeptum autumo.*
Nun. *Quin tota profligata iam res eſt propé.*
Æn. *Multa inchoantur fauſtiter, fini occidunt.*
*Pro-*

Nun. *Promiſcuam fugam hoſtium iam vidimus.*
Æn. *Quid ſi hoſtis ad caſſes doli ſimulat fugam?*
Nun. *Multo coactus ſanguine, eiectus loco eſt.*
Æn. *Stetitne ſtructa acie atq; in ordinibus fuit?*
Nun. *Nil tale metuentes, tumultu oppreſſimus.*
Æn. *Subitariam, haut ſtatariam pugnam refers.*
Nun. *Ex impetu fortuna noſtra omnis ſtetit.*
Æn. *Quod impetu ſurgit, nouo impetu ruit.*
Nun. *Durum eſt redintegrare verſum poplitem.*
Æn. *Forte in vagum vulgus datus fuit impetus?*
Nun. *Infeſta conferre arma vulgus non ſolet.*
Æn. *Exercitum fæx multa comitari aſſolet.*
Nun. *Fugam calonum forte tu iſtam cogitas?*
Æn. *Subita procella non rapit fortes viros.*
Nun. *Multi cruoris & laboris res fuit.*
Æn. *Cæcus furor belli eſt. videt quæ non videt.*
Nun. *Rem ſi audies, vſum manu & oculo aſſeres.*
Æn. *Noſtine Grais quempiam ex primoribus?*
Nun. *Et nomina, & vultus, repreſentem omniū.*
Æn. *Tumultu in iſto cognitus quiſquam tibi eſt?*
Nun. *Ferrum vibrabat Merion iuxtâ hoc latus.*
Æn. *Potes ſecundum nominare aut tertium?*
Nun. *Tytiden & Idomenea vidi propalam.*

*Iſtinc*

Æn. *Jstine cum alijs terga verterunt simul?*
Nun. *Promiscuos videre non memini in fuga.*
Æn. *Visusne Achilles indidem aut Aiax tibi?*
Nun. *Hac non fuêre, quâ fui; nescio alibi.*
Æn. *Non contigissent talia his præsentibus.*
Nun. *Quid si Deorum quispiam nos subleuat?*
Æn. *Opis Deorum nostra dumtaxat salus est.*
Nun. *Verùm admouenda est cũ Dijs manus quoq;.*
Æn. *Hoc agimus, vtinã non profundamus operã.*
Nun. *Sed tam celer qua decucurri huc gratia,*
*Et me tuis offere quæsiui auribus,*
*Si te volente proloqui liceat, loquar.*
*Veniam ante deprecatus impudentiæ,*
*Quod imperatorem monere miles haut*
*Dubitem, tuæq; obganniam sapientiæ.*
Æn. *Præfationes amputa, fare numero.*
Nun. *Qui rebus auxilia ministrant perditis,*
*Feßisq; succurrunt recentata manu*
*Paßim omnium mortalium fit moribus,*
*At prosperas res, sponte securus tui,*
*Fortuna in ipso cursu & in portus vado,*
*Dum difluunt, & cautiones negligunt,*
*Plerumq; videas intimo elapsas sinu.*

*Nam*

*Nam lęta & impotens sui felicitas*
*Facile remittit cordis acrimoniam,*
*Spatiumq́; dat rursus relabendi ad malum.*
*Victoriaq́; ipsę, cruore plurimo*
*Partę, modò intermißione paucula*
*Aut horulę breuißimo respirio,*
*Mox in ruinam sunt volutę prępetem.*
*Ut non minus sint fulciendi orsus boni.*
*Quàm quandò tristis obruit neceßitas.*
*Quocircà, & hanc vicē, vtut hęc fuga hostiū*
*Euenit, & spesse extulit victorię,*
*Vestigio premendam, & vrgendam ilicet,*
*Nouisq́; subsidijs fouendam censeam,*
*Nullamq́; dandam copiam vllius morę.*
*Adeoq́; tu ipse cum tuis legionibus*
*Illuc vt euoles diserte optauerim.*
Æn. *Rectè mones. persępè damnū hoc prębitū est*
*Victorijs, partę modò, vt partę haut forent.*
*Dum persequendi atrox labor remittitur.*
*Neq́; hoc loci planè alia mea sententia*
*Fuerit, si ita est vt prędicas, fugam hostium*
*Factam, vsq́; & vsq́; vt opprimātur viribus*
*Nouis, nec habeant copiam interspirij.*

 *Sed*

*Sed non meum est statuêre de hoc negotiô.*
*Regem te adire opust, eiq́; exponere,*
*Quicquid statuet, ad iussa nos præsto sumus.*

STRO.

Cho: F*æcunda rumorum creatrix,*
*Pollens præpete penna,*
*Insignis linguis centum*
*Publica fama,*
*Verumne nuntium per ora totius*
*Troiæ excitasti?*
*Fusas, fugatas, vltima*
*Strage, hostium cateruas?*
*Pausamq́; bello funditus inditam.*
*Quod nos decennali fatigabat metu.*
*An mens anxia credulam*
*Plus satis se præbet ad id, quod optat.*
*Sermonibusq́; gaudium vanis fouet.*

ANTIST.

*Imago mî mentem retentat.*
*Si quis lumine læsus,*
*Obscuretur palpebra*

*Sole*

*Sole carente,*
*Longumq́; tædium in tenebris horridis,*
*Omnis ſalutis*
*Euanida ſpe deuoret.*
*Si forte vel Deorum*
*Benignitate, aut opera manus*
*Medentis, aſpectet iubar fauſtum poli,*
*Quanquam non ſolida face,*
*Et mali parte haut minima relicta,*
*Lætum tamen ſe ſe gerit vel hoc bono.*

EPOD.

*Rumoris huius, particulas itidem*
*Aliquas, vtinam liceat legere,*
*Fruar vel ipſo dimidio libens.*
*Cæno tenaci efferre protinus pedem*
*Fortuna nulla, nulla fata permittunt.*
*Primis principijs premenda damna.*
*Poſtquam furorem in curriculum acrius*
*Miſeris, nullas ſonipes habenas,*
*Non currus aurigam audit.*

COETVS fœminarum cum peplo redeuntium.

*Paulum moremur, nec relinquamus chorum.*
*Est quod monere, quod dare in mediũ velim.*
*Consistite, & parumper inhibete hîc gradum.*
*Auresq́; mî præbete, dum quædam eloquor.*
*Qui se Deorum ad præsidia conferre amant,*
*Totasq́; spes pietatis in sinu locant,*
*Eos sapere, partesq́; persequi optimas*
*Existimo. nam cum Deorum maxima*
*Pollentia, & potentia, & præstantia*
*Sit, opumq́; thesauros manu omnes in sua*
*Teneantq́;, poßideantq́;, propitios sibi*
*Qui illos habent, habere ab illis omnia*
*Credo, neq́; vllum maius autumo bonum.*
*Odisse tamen ipsos Deos ignauiam,*
*Et quos amant, beare per solertias,*
*Gnauisq́; desudare velle laboribus,*
*Constans opinio est. in hoc quin vertitur*
*Virtutis omnis ratio, qua nemo sine*
*Beatus aut felix satis censendus est.*
*Idcircò nostra præ viris iniquior*
*Sors æstimatur, quæ veluti ad ignauiam*
*Damnata, & inclusæ pudendum in carcerẽ,*

Ser-

Seruare limen, & domi senescere
Necesse habemus. dum viri & Respublicas
Latè gubernent, & gerant bella inclyta,
Et glorias quærant, opesq; splendidas.
Quasi verò nobis, vel manus planas quoq;,
Vel brachium, vel oculos, vel humerum,
Vel cordis acrimoniam & solertias,
Vel quicquid illis suppetit, negauerit
Natura, vt hisdem munijs percommodè
Sufficere poßimus, quibus viri eminent.
Ineptiores fortëan Mauortis ad
Negotium putemur; idq; ob virium
Imbelliam, roburq; non firmum satis.
Verum hæc quoq; ærumna atq; contumelia,
Eidem latebræ, desides qua includimur
Est imputanda. quid? viri omnes scilicet
Ad bella sunt aptißimi & fortißimi?
Minore in æuo, vt quisq; se se exerceat
Ita gnauus, aut imbellis ætatem terit.
Nam robur est quoq; munus asuetudinis.
Neq; dubium est, si exerceamur nos quoq;
Ad fortitudinem, fore haut lentißimas.
Vel hæc Amazon, specimen istius rei

Præbet

*Præbet satis; quæ, more quia gentis suæ*
*Est instituta; pensa non producere.*
*Non aßidere fuso, & ignauæ colu,*
*Vibrare sed securim, & arcus tendere,*
*Ferocis aut versare fræna sonipedis,*
*Nunc vel ducis primarij implet munia,*
*Vel militis fortißimi: tamq; strenué*
*Aduersum Achiuos dura in acie rem gerit.*
*Vt finierit omne iam bellum prope.*
*Totam per vrbem vera si rumor canit.*
*Sermonem eum, qua causa apud vos fecerim*
*Nunc expedibo. Quid si ad exemplum illius*
*Sumamus animos, atq; corda fortia?*
*Et fæminæ, sequamur, ipsam fæminam.*
*Non tam futuræ forte prælij adiuuæ,*
*Quàm, quod magis reor potituræ simul*
*Certißimo victoriæ consortio.*
*Vel vltionis gratia; quàm persequi,*
*Lacerare & ipsos mortuos, dulcißimum est.*
*Nam quæ doloris non habet causam sui?*
*Hæc orba filiis, thorum hæc viduum gemit.*
*Vel fratre, vel parente plurimæ carent.*
*Multæ propinquis. nulla non iustum gerit*
*Vulnus;*

*Vulnus, graue in vindictam ut exardescere*
*Non debeat, rapiamus arma, quæ offeret*
*Præsens furor, moræq́; non demus locum.*
*Occasiones claræ facta prouehunt.*
*Res maximæ puncto labascunt temporis.*
Cœt. *Placet, placet sententia: utamur foro.*
*Moram amputemus, vindicemus funera*
*Charissimorum. suauius nihil siti est*
*Iustæ vltionis; gestio haurire hostium*
*Fœdū cruorem; imitemur inclytam ducem.*
*Et gloriam nostri efferamus sæculi.*

## THEANO.

*Quæ istæc malū est insania? aut ubi est pu-*
*Quo ruere pergitis? gradū subsistite. (dor?*
*Locum date potioribus sententijs.*
Cœ. *Præclara facinora impedire non licet.*
The. *Præclara non sunt, quæ pudorem negligunt.*
Cœ. *Telum necessitatis est durissimum.*
The. *Necessitatem sæpe confingit furor.*
Cœ. *Multam moram facis tuis sapientiis.*
The. *Senecta me vobis monet succurrere.*
Cœ. *Tuam senectam semper obseruauimus.*

The. *Obseruat is, qui auscultat, ad mentē redi.*
Cœ. *Occasionem perdimus, mißa hæc face.*
The. *Occasio non omnis est fidei bonæ.*
Cœ. *Nimis viam qui quærit, amittit viam.*
The. *Quo ruitis amentes? ruinam quæritis.*
Cœ. *Igitur doce meliora, quando plus sapis.*
The. *Qui vult doceri, oportet esse seria*
*Mente atq; defæcata, & aure libera.*
*Non impedita suasionibus malis.*
*Idcircò, non tantum pede, sed animo magis*
*Consistite, & leuate vos respirio.*
*Te affabor inprimis puella Antimachia.*
*Et submonebo erroris, in quem te intulit*
*Feruor iuuentæ, vel viæ inscientia,*
*Imitamen, in qua podeßit, vim maximam.*
*Vertens vtramq; paginam, vultu pari,*
*Bonam, malamq;, prosperā atq; improsperā.*
*Contrà malam, persola cautio hæc viget,*
*Nec improbos, nec impares sectarier.*
*Ab improbis, maligna vita accersitur,*
*A disparibus aduersa. quæ lædit tamen,*
*Insignis & præclara licet appareat.*
*Nam varia cum sint genera mortualium,*
*Et*

Et quemq́ sors sua ab aliis discriminet,
Suo gregi aggregarier, quemq́ est opus.
Agnos uti agnis, & feros lupos lupis.
Delapsus inter non suos, ne non feras
Consortium, vel insuper pereas malè.
Imitamine hoc vafras perire simias
Ferunt, cothurno non suo dum se implicant.
Potesne iam sentire vbi peccaueris?
Mitto; quod vxor inclyti & summi viri,
Deuincta iurata fide, & sacro thoro,
Sine illius scitu, nihil tale aggredi
Fas, iusq́ habebas; quia palam delinqueres,
Ipsumq́ iniquis læderes contemptibus.
Vos cæteras nunc alloquor. frustraneum
Natura nil parit, nec absonum vspiam.
Quin cuncta perfecta arte, perfecto ordine,
Confusione atq́ vitio quouis procul,
Ad munus institutum, & officium ratum.
Quo in genere, sexuum eminet discretio.
Animantium quum sæcla, mas cum fæmina,
Condunt, graduq́ coniugantur dispari.
In cæteris viuentibus, sola sobolis
Productio promanat inde: non item

In homine; qui ad sublimiora proditus,
Sanctasq; virtutes colendas; non thoro
Nexuq; tantum iungitur cupidinis.
Sed vinculo sanctissimo æui totius.
Sexu tamen vti dispari disiungitur,
Ita dispares celebrare virtutes solet.
Sunt fœminarum, sunt virorum munia,
Quæ mista si turbentur, & vir fœminæ,
Viriue fœmina occupet negotium.
Venusta naturæ ruat concinnitas.
Multis ne agam: deses domi vir si hæreat,
Ignauiæ non effugiet atram notam.
Si fœmina vagetur foris, nil turpius.
Deuotiores nos sumus; frequentius
Delubra Diuum ideò solemus visere.
Proüt modò ad puluinar almæ Palladis
Accessimus: mutemus obsecro ordinem.
Ad templa confluant viri; noster chorus
Descendat in Mauortis aream trucem;
Absurditatem præter & turpes vices,
Periculum hinc vtrisq; cladesq; vltima,
Creëtur. hanc si quis Scytham viraginem
Prætendat, & miretur; arbitrio meo,

Ista

*Ista studia, neq; huic conuenire iudico.*
*Vtcunq; more patrio est exercita,*
*Producit vt natura monstra; verùm ea*
*Perrara, scæuiq; habita semper ominis,*
*Res pariter est monstrosa, miles fœmina.*
*Communibus vita est peragranda orbitis,*
*Naturaq; insequenda dux certißima.*
*Artisq; factitandus asuetæ modus.*
*Lausq; aucupanda de labore congruo.*
*Vtcunq; bellatrix superbit maxima,*
*Tamen vel illa sospes vtinam se efferat*
*Loco ex tam atroci, in quo virorum fortiũ,*
*Ducumq; summorum iacent tot funera.*
*Næ vos misellæ non perieritis malè*
*Muscæ velut, pessum datæ pogoneo.*
*Dextella quarum vix aciculam sustinet.*
*Nedum vibraret pondus hastæ aut spiculi.*
*Cedamus in domos, coloq; strenuam*
*Manum applicemus, fæminas frugi vt decet.*
*Viris & arma, & vltiones, & graues*
*Iras relinquamus, secundùm Diuûm opem.*

MONOSTROPHICA.

Cho. *Sermone in sapientum*
*Audiui memorari.*

*Nil tranquillius esse*
*Magno mari; insolentia*
*Ventorum nisi perturbetur.*
*Vesaniamq; fluctuum*
*Concipiat, miseris discrimina nautis.*
*Urbibus in magnis populorum*
*Persimile ingenium esse.*
*Blanda vt pace fruantur,*
*Pacati, lentumq; quiescant.*
*Seditiosæ animæ autor*
*Donec insurgat, grauidam tumultu*
*Trahens procellam, & benè compositos,*
*Miscens fluctibus asperis.*
*Tunc videas ignobile vulgus*
*Cætus cogere, concursare,*
*Frænum excutere, poscere tela,*
*Non patriæ, aut legum meminisse,*
*Ruere in pernitiem, certamq; ruinam.*
*At si furentibus, obuiam se se offerat*
*Magna viri facies, quem*
*Splendor & vitæ, grauitasq; morum,*
*Et meritis illustria facta,*
*Commendent; mox limphatos*

*Mul-*

*Mulceat fando, rabiemq́ demat.*
*Stent arrecti, ponantq́ iras,*
*Et pristinæ quieti*
*Dedant se se.*
*Unicus vir, corde pollens,*
*Urbibus totis salutem*
*Impertit; hunc si fata demant,*
*Iactura maior vix potest recenseri.*

## MILES saucius.

*Me miserum, ach ach, ô miserum me,*
*Quod vitæ generi huic me addixi,*
*Militiamq́ sequi potius, quàm*
*Tranquillum æuum elegi ducere.*
*O gloriola,*
*O vitæ aucupium vanissimum,*
*Fraude tua hæc in retia veni.*
*Nunc miser ex te hæc præmia capio.*
*Vulnera, sæuum, artumq́ cruorem.*
*Quin vicinum funus præsto est.*
*Me miserum, ach ach, ô miserum me.*
Cho. *Quid hoc rei est? de prælio hoc vulnus refers?*
Mi. *Non de popina, non fori de circulo.*

*Hæc*

Cho. *Hæc sunt virorum condimenta fortium,*
*Imbellium haut Mauors moratur sanguinẽ.*
Mi. *Me miserum, ach ach, ô miserum me.*
*O bellum, ô pernicies maxima.*
*Quisquis te prior humanum in genus*
*Introduxit, næ ille leonum*
*Cor geßit, vel dirius etiam.*
*Orci tu thesaurus, per te*
*Mors messem facit innumerabilem,*
*Nunc florem ætatis miseræ meæ*
*Detruncasti. pereo, pereo,*
*Iam deficio, iam deficio*
*Tenebræ inuolunt oculos. ô sol*
*Non te iam video, soluuntur*
*Frigentq; artus, cado iam cado.*
Cho. *Deceßit; hastæ vulnus hoc est per femur.*
*Ecce alterum venire saucium, & alterum.*

MILES alter saucius.

*O vulnus dum te respicio*
*Fatalemq; horam mihi adesse*
*Iam iam video, non hoc moueor,*
*Quod migrandum e vita est. iam tum*

*Pri-*

*Primum, cum militiæ nomen*
*Consecrabam, pro stipendij*
*Precio, deponebam vitam.*
*Inq; aciem, non alia mente*
*Descendebam, quam vt redeundum*
*Non sperarem. quippe vbi ferro*
*Res agitur, ferri expectanda est*
*Lex & vis. vitam qui alienam*
*Appetit, ibidem destituat suam.*
*Legibus itaq; belli pareo*
*Æquo animo, & vim fati amplector.*
*Quanquam decimus est hic annus,*
*Ex quo saxum hoc voluo illæsus.*
*Fecit hoc vel Diuûm alma benignitas,*
*Vel virtus & dexteritas Ducum,*
*Quorum ductu, atq; auspicijs, pedem*
*Semper sospes retuli ex omni*
*Discrimine. nunc sub Duce nihili*
*Interitu communi, veluti*
*Fluctu haustus sum, & pereo inglorius.*
*O fœmina, quæ te pestis dira*
*Attulit in nostras regiones.*
*Tua superbia, tua stultitia*

*Clade*

*Clade ſuprema, nos oppreßit.*

Cho. *Mî miles indolem tuam fortißimam*
*Admiror. at miſereſco fortunam ſimul.*
*Stragemne noſtri nuncias exercitus?*

Mil. *Vt me vides, de cæteris ſic iudica.*
*Oſtentatio & ambitio duæ*
*Humani generis funeſtæ*
*Clades, quàm fœdare ruinis*
*Grauibus vitam omnem ſoleatis.*
*Tum præcipuè inter belli ardua*
*Stragem exercetis, ſi quando*
*Dux ſtolidus ſe imperio ingeßit,*
*Inſuetasq́; manu trepidante*
*Prendit habenas.*
*O Diua, ô fulgenti pollens*
*Ægide, delubri huius Præſes,*
*Inclita Pallas, numen mihi vt in*
*Vita, ſic in morte colendum.*
*Miſeram hanc animam leni paſſu*
*Permitte ægros deſerere artus,*
*Et tranquilla in ſede repone.*
*At vos amicæ, cura ſi qua vos tenet*
*Labentis in mortem, & trahentis vltimum*

*Anhe-*

*Anhelitũ, deducite hinc me aliquo in locũ*
*Solum; vel ad viciniam fani istius.*
*Ne spiritum sæuo æstuantem vulnere*
*Efflem ante vestra lumina, & spectaculo*
*Tetro, cruoris insuetas inquinem.* *(tur*
*Amabo, prende dexterã, & dum adhuc da-*
*Mouere viuum poplitẽ, hinc me submoue.*
Cho. *Imò ad medentis te manum deducimus.*
Mil. *Spes nulla; tanta vulnerum vis opprimit.*
*Iam iam auferor, duc quæso, subduc otius.*
Cho. *Ite, hinc & hinc, vtrũq; subtus brachium*
*Manum indite, & quà iusserit deducite.*
*Pium laborem sumere, addecet pias.*

TERTIVS miles saucius.

*Iuppiter, aut tu, qui bella regis*
*Omnia vertens, maxime Mauors.*
*Vtcunq; mihi, vulnere acerbo*
*Vita eripitur; tamen hoc nomine*
*Iustas vobis grates reddo.*
*Quod me hæc intrà mænia viuum*
*Et spirantem, concessistis*
*Inferre pedem; ne coruis &*

*Canibus fierem turpe obsonium.*
*Neue carerem sorte sepulchri.*
*O Patria, ô longè dulcißimum*
*Natale solum, suscipe inane*
*Hocce cadauer, suscipe vilem*
*Corporis vmbram; quando animis, &*
*Sospite dextra, saluam & sospitem*
*Te præstare negatum est; non hoc*
*Miseret, quod pereo; hoc mage miseret*
*Quod coram video interitum tuum.*
*Et ruo, te iam iamq; ruente,*
*Nec iustitiæ me solatur,*
*Oculus; quin morte ipsa, mortis*
*Causa asperior trepidum concutit.*
*Nam sceleri alieno vitam nos*
*Impendisse, ecquis non iudicat?*
*Nì patriæ erroribus inuolui,*
*Et commune malum, omnibus æquè*
*Impingi, iubet arcta necëßitas.*
*O Priame, ô quondam, non solùm*
*Magnorum regum, ast hominum omnium*
*Felicißime, dùm te ætatis*
*Vigor, & consilij alta potestas*

*Flo-*

*Florentem, immotumq́; fouebat.*
*Omnes læta pace tegebas,*
*Nec tempestas vlla gubernis*
*Læua tuis incurrere amabat.*
*At postquam anni deteriores,*
*Mollius & te concuruauit*
*Senium, concessisti imperium in*
*Muliebre, & iuuenum natorum*
*Proiecit væsania frænum.*
*Hinc flamma irrequieta malorum*
*Prosiluit, teq́; & nos hausit*
*Exitio, extremaq́; ruina.*
*O domus, vtinam te pede firmo*
*Tangam, & vitæ relliquias tuo*
*Dulci in gremio fessus ponam.*
Cho. *Permiserisne? si tibi supponimus*
*Manum, atq; limen ad tuum deducimus!*
Mil. *Si feceris, beneficium summum mihi*
*Præstiteris; ach cruore te fœdo effluens.*

STROPH. I.

Cho *Quisquis humanum genus adcolenda*
*Iura mutui consortij*

*Deduxit, atq; nexibus*
*Adstrinxit vitæ socialis;*
*Vt domos, vt vrbium*
*Ponerent fundamina,*
*Moribúsq; & legibus*
*Obnoxij sacratis*
*Cum choro virtutum venerabile æuum*
*Degerent, pacis simul atq; belli*
*Constitutis munimentis.*

ANTIST. I.

*Næ ille diuini precium laboris*
*Sæcla per mortalium vaga*
*Vulgauit. an tantum hoc decus*
*Est acceptum iure ferendum*
*Orbis ipsi condito-*
*ri? manu qui præpoten-*
*ti, propages viuentium*
*Quum proderet, cohortes*
*Cæteras brutorum animantum, ad vnum*
*Nempe vescendi offitium vocauit,*
*Atq; humo preßit supinas.*

STRO.

STRO. II.

*Ventrem vt parentem agnoſcerent*
*Tantùm; & viuere priuo*
*Æuo, vſq; quaq; poſſent.*
*Aſt hominum ſobolem altiorè*
*Edidit partu, rationis almæ*
*Compotem, ad cæli ſupremas*
*Sedes vſq; animo penetrantem,*
*Oris honore, aptaq; loquellâ*
*Ornatam; vt genitoris*
*Laudem ſui, lætiſsimo*
*Munere linguæ concelebraret.*
*Cœtibuſq; congruis*
*Inter ſeſè agitaret*
*Vitam beatitudinis*
*Virtutumquè capacem.*

ANTIS. II.

*NEceſsitatis inſuper*
*Telum ex corporè nudo*
*Infixit, vt iuuamen*
*Alter ab alterius labore*
*Quærerent, atq; inde operæ ac amoris*

*Indu-*

*Induerent arctißima vincla.*
*Artes omniginæ hinc caput extu-*
*lêre; hinc omnibus oris*
*Sudatur & decurritur.*
*Omniaq; in medium cumulantur.*
*Non greges citos rapit*
*Formicarum adeò ardens*
*Cupido; aceruos dum congerunt*
*Æstatem per amœnam*

EPOD.

*Farris opimi: vt curæ innumeræ*
*Deproperant hominum satagentum.*
*Ast non omnibus aurum*
*Conferre fulgens, aut nitorem gemmarum*
*Conceditur. vilißima*
*Rerum, etiam veniunt in vsum.*
*Non tamen vllius præstantis pondera gazæ*
*Antestant preciis*
*Prodigam virtutem animæ; quietem*
*Dum patriæ, dum templa Deorum,*
*Fessos dum amicos, eripit*
*Hostium ex charibdi.*

O mihi

*O mihi militiæ nomen sanctißimum, & o tu*
*Semper iuuentus inclyta*
*Quæ nec morte fugis nostrã munire salutẽ.*
*Dij tibi propitij sint*
*Et his, & olim oris beatioribus.*

Æn. *En quo relapsa est tam repens victoria?*
*Mussanda sed sunt Principum deliria*
*Vtcunque damnis persoluta atrocibus.*
*At nunc, quod instat, ne hauriamur vltimo*
*Periculo, ite quo suum quemq́ue euocat*
*Munus, volate in mœnium pinnacula,*
*Volate propugnacla in alta turrium,*
*Sint expeditæ machinæ, sint vndique*
*Intenta tela, militum sueti globi*
*Portasq; & arcem sepiant custodijs.*
*Fremat tumultus omnibus vicis palam*
*Ad arma, ad arma cõclametur, horrẽs timpa-*
*Tubæq; tristes, dent sonorẽ turbidũ. (num*
*Ne improuidos hostilis impetus obruat.*

Nun. *Orci tenebras & specum infernalium*
*Aduenio linquens, vltima tantum abfui*
*A mortis orbita, vt perisse crederem.*
*Hoc profuit, quod cladis esse nuntium*

*Voluêre*

*Voluêre Atridæ, eaq; gratia mihi*
*Cessêre vitam; posteaquam cæteros*
*Omnes neci obtrusêre, quoscunq; in manus*
*Venire viuos contigit Marte ex fero.*
*Adeò cruentas victimas promiscuè*
*Jussu videbam publico mactarier.*
*Me præter vnum, sorte semotum ancipe*
*Sed obuiam eccum habeo Ducem optimum*
*Æneam, ei effabor malorum hunc turbinē,*
*Quo perperam est strages patrata exerciti.*
Æn. *Quid est? quid adfers? fare, nil spōte occule.*
Nun *Elinguis vtinam istam vicem & mutus forē.*
Æn. *Malis ferendis iam ægra mens occalluit.*
*Non est, quod auri postules te parcere.*
Nun. *Vis magna tam triste imposuit onus mihi*
*Vita redemptum nuntium vobis fero.*
Æn. *Hoc iam liquet, victoriam esse hostem penes,*
*Nostros potitos cladis, & turpis fugæ.*
Nun. *Clades ferè omnes abstulit, paucos fuga.*
Æn. *Occidionis sæua damna prædicas.*
Nun. *Sic res habet, tam arcta incidimus in retia.*
Æn. *Insessor an vos miles oppreßit dolo?*
Nun. *Nullæ extitêre insidiæ, aperta vis fuit.*
*Aciene*

Æn. *Aciene conflictum est, & instructa manu?*
Nun. *Acie, nec acie, cæca mens nos perdidit.*
*Et verius vis insolens, quam prælium.*
*Artisq; militaris inscientia.*
Æn. *Num Scytica disciplina non satis cata est?*
Nun. *Feræ impotentes prælientur cautius.*
Æn. *Armatus hostis copiam pugnæ dedit?*
Nun. *Vagum atq; palantem per arua inuasimus.*
Æn. *Bellum futurum nescientem scilicet.*
Nun. *Nec cogitantem, nec paratum vllo modo.*
*Pleriq; tuti obambulabant, plurimi*
*Spolia legebant, aut rogis ardentibus*
*Tumulisq; mandabant suorum corpora,*
*Vulgusq; paßim errabat; vt fieri solet*
*Victoria parta, & patratis cædibus.*
*Quùm nostra Dux, nō arte belli, aut ordine,*
*Non more structis congruo legionibus,*
*Signisue prolatis, tubisue canentibus.*
*Clamore sed duntaxat, & voce horrida,*
*In barbarum furens modum, præfulgidam*
*Vibrans securim, cum suis prima euolat,*
*Turbamq; latè penetrat in promiscuam.*
*Imbellia & vaga in pecua ceu trux lea,*

Necibusq; cædibusq; miſcet omnia.
Totisq; campis fundit atrum ſanguinem.
Nos conſequimur, atq; irruimus, vnà illicet
Cuncti; ordinibus itidem, atq; lege prælij
Neglecta, vt effera & voracia agmina
Sturnorum, eunt clamore acuto, peßimam
Prædam petitum de racemis dulcibus.
Sternuntur, obtruncantur, vt quisq; obuius.
Cadunt inermes, ſtruibus implentur ſola
Cadauerum, riuis cruor paßim ruit,
Turpem in fugã vertuntur omnes, quà patet
Latißimus campus, Scamandri ad littora.
Nos inſequi, nec facere cædium modum,
Ad caſtra donec ſtragis illatus pauor
Eruptioq; noſtra ſatis apparuit.
Jamq; ardor occidendi ad ipſam fluminis
Ripam, impetu nos tulerat effuſißimo.
Neq; hoſtium à tergo, neq; memores ſui.
Sæuire Amazon, atq; ouare cædibus.
Noſq; incitare peruicam ad ferociam,
Magis, magiſq; ardebat, amens vls modũ.
Prodire caſtris interim Græcanicus
Exercitus, portisq; fundi ex omnibus.

Et

Et terga noſtra perpeti circumdare
Indagine; neq; ſenſimus claudi prius
Ferri ſagena; quàm exitus nullus ſuper
Relictus, vt minimam fugæ daret viam,
Vallante frontem vorticoſo flumine.
Duces volare viſi, & adſtruere aciem,
Lentoq; lunata admouere gradu agmina,
Aiaxq; Achillesq; altaq; vis Vliſſei,
Geminiq; Atridæ, & cætera heroum manus.
Mox diſsipatos, ſegreges, male auios,
Feſſosq; anheloſq; impetu rapidiſsimo
Petunt, trucidant, vulnerum vi proruunt.
Ceu atra nubes, fæta dira grandine,
Ventiq; turbinisq; perperam potens,
Segetis adultæ verberat propaginem,
Totasq; ariſtas in ſinum terræ quatit.
Nec tempus horæ vnius amiſsum exijt, (eſt.
Quùm internecio noſtrûm omniū palā edita
Partem fluuius abſorpſit in præceps datam.
Viui in manus vix venimus pauciſsimi.
Itidem fugæ beneficium vix abſtulit
Pauciſsimos; in caſtra quot quot ſunt tamen
Rapti, capite dedêre pænam omnes trucem.

*Me præter vnum; quem iſta ſeruauit fides.*
*In vrbem, vt huius cladis irem nuntius.*
Æn. *Quid ipſa Amazon? in poteſtatem hoſtium*
*Viua eſt recepta? an cecidit inter cæteras*
*Strages? humumq́ momordit ore frigido?*
Nun. *Achilis haſta occiſa, fortem ſpiritum*
*Effudit vno, haut altero, ictu ſaucia.*
*Nam vbi vndecunq́ vidit à noſtris fugam*
*Fieri, & tumultum turbidum increbreſcere,*
*Graioſq́ peruulgare cuncta cædibus.*
*Stupore paulum, vel pauore conſtitit*
*Incerta; pedibuſne etiam, equoq́ fideret,*
*An cordis acrimonijs ſtaret ferox.*
*Mortemq́ quæreret media per vulnera.*
*Vitamq́ non inulta in acie amitteret.*
*Dum voluit hæc, & anxiè ſecum autumat.*
*Iam iam illi Achilles imminebat arduus.*
*Succinctus impigerrimo iuuenum globo.*
*A queis caterua Scythica, vel fædã in fugã*
*Dicto otius dabatur, aut orci in domos*
*Truci premebatur nece, ſatura vulnerum.*
*Aſt ipſe Pelides feris obtutibus*
*Solam aucupabat Ponticam viraginem.*

*Quæ*

Quæ milibus totis, suorumq́; agmine
Nudata, varios huc & huc orbes, equo
Spumanti agebat, nec satis stabat loco.
Quam comminus nactus, oculis vt voceq́;
Posset lacessiri, ioco sic increpat.
Heus heus puella Pontica, heus, huc huc ades.
Cupidus tui iuuenis vocat te, heus huc ades.
Mauortij teli appetens, non Venerij.
Hîc illa, seu furoris æstro percita,
Pudoreue externata, equum calcaribus
Adurget, impetumq́; planè acerrimum
Facit in Achillem, tum bipennim ter quater
Infligit in galeæ moras, ictu irrito,
In fragmina vt chalibs volaret protinus.
Tanto arma Achillei valebant robore.
Perfecta fida olim arte Lemnij senis.
Missa bipenni, hastilibus manum admouet.
Iactuq́; iaculatur propè infestißimo.
In pectus aduersum viri; ictus hic quoq́;
Vmbone frustratus nihil noxæ tulit.
Namq́; illam inescans, tela clipeo scilicet
Duntaxat eludebat, & dabat moras.
Rimatus opportuniorem spiculi

Sui impetum; nec arte sueta falsus est.
Namque irruens, ipsam in papillam condidit
Ferrum, per usque cordis intimos sinus.
Momento ut halitū ultimum flaret, & equo
Rueret, nec amplius sui compos foret.
Labentem Achiles, à suis sumi in manus.
Situque quàm decente deponi in solum
Præcepit, omni parte tecta corporis,
Ne virgineus honor pateret uspiam.
Delapsus ipse equo, & parumper lumina
Faciemque contemplatus; ô virgo misera
Quæ te mala, inquit, mens, virorū in prælia
Coniecit? aptius fuisses inclyta
Mater familias, & domum auxisses tuam.
Nec spolia legere, nec arma quenquā tangere
Siuit iacentis; quin datis custodibus,
Seruare tutam iussit, ornatu integro.
Flammam in duelli ipse, inque confertissimas
Strages relapsus, cædibus se immiscuit.
Nec iam diuturnus superfuit labor.
Fusi, fugati, occidionem ad ultimam
Omnes redacti, aut fluminum torrentibus
Hausti, nefandis conciderant mortibus.

Ma-

*Magnusq́ clamor personabat vndiq́;*
*Feri, feri, occide, occide, caue parcere.*
*Nondum diei flexerat meridies*
*Quùm cuncta profligata, strata corporum*
*Fœdis aceruis, plena cladis cerneres.*
*Tuba interim receptui cæptum cani.*
*Campoq́ in ipso principes omnes viros*
*Præco aduocabat regium in tentorium.*
*Præsto frequentes adfuêre: mox datum*
*Edictum in omnem exercitum; ne quis caput*
*Viuum hostis asseruaret, aut si cui foret*
*Captiuus, em regi illicò fide bona*
*Vt traderet. pauci illicò sunt traditi.*
*In quêis ego quoq́. sorte deîn censi sumus.*
*Quis iret, atq́ verba Troiam non bona*
*Deferret; vt victoriam Græcos penes*
*Stetisse scirent; pacis vt silentium*
*Esset perenne; fœderis ne mentio,*
*Ne nuntiorum missitatio foret.*
*Non postulatio vlla, ne cadauerum*
*Sepeliendorum quidem, aut causa pia.*
*Venire si quis audeat, caduceo*
*Tutum haut fore, imo capital extemplo fore.*

*Hæc*

*Hæc ferre iusso, præmium vitæ datum est.*
*Producta turba alia, capite pœnas luit.*
*Nec parcitũ cuiquã est, tam atrox persæuijt*
*Vindicta, iura vt gentium pessumdaret.*
*Mox aliud edictum editum est. vt militi*
*Præda vniuersa cederet; cadauera*
*In flumen vt raperentur, esca piscibus,*
*Omni sepulchri destituta munere.*
*Neq; mora, quùm nudissimi, turpissimum in*
*Modum, trahebantur, tetrosq; in vortices*
*Præceps dabantur, flumina vt consisterent,*
*Meroq; spumarent cruenta sanguine.*

Æn. *Etiamne Amazon tale supplicium tulit?*

Nun. *Quin prima tracta à publicis lictoribus,*
*Vnàque cum illa cæteræ viragines,*

Æn. *Nudæne? an habitus sexui debitus honos?*

Nun *Non sat scio; fieri spolia vidi tamen.*
*Equumq; duci Vlissis à famulitio.*

Æn. *Non illa Achilles iure possedit suo?*

Nun *Neq; id scio, tantummodo ex tentorio*
*Vidi periratum exeuntem Achillea.*
*Vultu feroci, flammeis obtutibus.*
*Remurmurantem feruidas secum minas.*

*Rumor ferebat, iurgio intentißimo*
*Egisse, ne crudele quidquam in mortuos*
*Decerneretur, neue conscirent nefas.*
*Quod iura abhorrerent Deûm & mortaliũ.*
*Eaque causa, contumelia excitum*
*Tersitis, in malam eius impegisse tam*
*Pugnum valens, vt dentium illico omnium*
*Sputum faceret, atque ante sesimonij*
*Ora, exanimis, & vix hians procumberet.*
*Quid postea actum, non liquet mî dicere.*
*Mox namque iussus ire sum, & rapere viã.*
*Nec diffitear iuisse perceleri gradu.*
*Nec terga post vertisse flexa lumina.* (*hac*
Æn. *Hac me sequere, regẽ vt adeas, atq; omnia*
*Sermone quàm verißimo renunties.*

STRO. I.

Cho. *Suprà querellas, & lachrymas suprà,*
*Omnesq; luctuum modos,*
*Exarsit hoc incendium*
*Stupore torpesco, nec orbitam spei*
*Amplius vllam dispicio, quæ*
*Exitum ab interitu supremo*

*Præ-*

*Præbeat; ô patria, ô creatrix*
*Dulcißima, ô ſanctißima*
*Pergama, structa manu Deorum,*
*Jam iam vos ruere vltimo*
*Excidio, iam funditus exstir-*
*pari video; nec ſubſidio*
*Vllum amplius locum dari.*
*Flammeus iam vos vortex vorat.*
*Jam ferrum in vobis dominatur.*

ANTIST. I.

H*umana quando præſidia omnia*
*Niſu irrito incaſſum ruunt,*
*Seq́ue opprimunt lapſu ſuo.*
*Sperare nam Deorum opem, vanißimi est*
*Judicij, quum crimine læſam*
*Mentem habeas, ſceleriq́ue nullam*
*Constituas ſine fine metam.*
*Nec corrigi te postules*
*In media feriente pœna.*
*Felix, qui potuit manum*
*Noſſe Deorum, & vindice flagro*
*Admonitus, mox ad meliora*

*Reflexit*

*Reflexit errantem pedem.*
*Obstinatus neue obduruit.*
*Js cælo contendere palmas*

## EPOD. I.

*Supplices, egens opis potest.*
*O iustitia, ô pacis amicæ*
*Genitrix veneranda,*
*Tu sola bellorum gubernas momina,*
*Victoriis tu sola cultores tuos*
*Beas. ruinis*
*Contrà fatigas,*
*Qui iura conculcant tua.*
*Tandem illabere mentibus*
*Regum meorum, vt præsidio tuo,*
*Aureæ pacis gremio reponi*
*Pietate non vana expetant.*

IESV CHRISTO laus & gratia.

# Pentesileæ Epitaphium.

Mersa Vndis, Svperata Armis, Dvm Fæmina Sexvm
Contra Contendo, Fæmina Sic Perii.
Stvltitiæ Exemplvm Mvliebris, Qvod Monet Omnes,
Metiri Vt Proprio Se Pede Qvisqve Velit.